

immediate ante illum, sit quidem praesens aut absens Gubernator aut Praeses.

Quod si fuerit Archiepiscopus utens Cruce, tunc Magistratus ibit immediate ante ipsam Crucem. Nullus enim inter eam et Archiepiscopum incedere debet, cum sit peculiare ipsius insigne.

#### Caput XI.

*Quid, si Archiepiscopus vel Episcopus Cardinalitia praestet dignitate?*

Si Archiepiscopus sive Episcopus non Pontificali dumtaxat refulgeat potestate, sed praeter hanc Cardinalatus supereminet dignitate, quoties Eminentia Sua erit descensura in Ecclesiam tempestive Praeses aut Gubernator aderit in ejus aula seu cubiculo praesignato ut in illius obsequiis comitatuque sit, cum progredietur: et tunc praeeunte omnino Magistratu permittet Cardinalis ipsum Praesidem aut Gubernatorem ad sui sinistram incedere.

In limine Ecclesiae, postquam Cardinalis Episcopus seu Archiepiscopus lustrali se aqua signaverit, aspersionum tangendum porrigit Praesidi vel Gubernatori, qui deinde apud SS. Sacramenti aram genuflectet super unico tantum pulvinari, quod ei praestabitur in terra post Eminentiam Suam in consueto genuflexorio procumbentem.

Postergali prorsus amoto Residentia pro ipso Praeside vel Gubernatore apud Altare majus relinqui poterit quoad caetera ornatus genera, prout in capite quarto describitur.

Si audiendi causa Conciones exegerit commoditas, ut pro Cardinali alius aptetur locus sermocinaturis propinquior: Eminentiae Suae praestanda quidem erit praenobilis Sedes super ligneum gradum tapete contextum, non omisso ut desuper dependeat baldachinum. At Praesidi sive Gubernatori nil aliud quam inferior Sella super

nudo pavimento et aliquantulum post illam Cardinalis locata exhibebitur.

Consueta Concionatoris reverentia unice ad ipsum Cardinalem dirigetur: Quod generatim et universe ab aliis etiam sermonem quacumque de causa habentibus praesente Cardinali erit inclusive adimplendum.

Sacris actionibus expeditis, nisi aliter Archiepiscopo seu Episcopo Cardinali visum fuerit, et Praeses vel Gubernator et Laicus Magistratus Eminentiam Suam iterum comitabuntur ad Cameram usque sive Cubiculum, unde procedentem susceperant.

*Constit. Bened. XIV. die 18. Apr. 1741.* (Bull. r. t. XVI. p. 28.) Bullar. *Bened. XIV. t. II. Append. II.; Caer. Ep. I. III.*

Approbantur Decreta a Congregatione caeremoniali particulari edita pro Archiepiscopis sive Episcopis et Praesidibus, Gubernatoribus ac Vice-Legatis per ditionem ecclesiasticam constitutis.

#### *Benedictus PP. XIV.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod apostolus universis Christifidelibus consulebat, ut inter caetera officia sibi pariter exhibenda, honore etiam sese invicem praevenirent et honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent; id maxime ab antistitibus et praesulibus vicissim inter sese, in mutua tam civilium quam sacrorum officiorum exhibitione, praestandum esse intelligentes romani pontifices praedecessores nostri, per Caeremoniale Episcoporum, juxta uniuscujusque ordinis, gradus et dignitatis conditionem leges et statuta, quibus integerrime servatis et unicuique ratio haberetur et nemini inferretur praedictum, sapientissime praescripserunt.

§. 1. Quoniam autem quosdam abusus in honoribus sibi invicem defe-

rendis inter venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos ex una et inter dilectos filios provinciarum status nostri ecclesiastici Praesides, Gubernatores, Praelatos et apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto ac tempore etiam immemorabili irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam in posterum querelis ac dissidiis inter utrosque forsitan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex venerabilibus fratribus S. R. E. Cardinalibus, qui Congregationibus sacrorum rituum et caeremoniarum praepositi sunt, negotium dedimus, ut leges et instituta caeremonialia pro corrigendis et auferendis iisdem abusibus opportuna et salutaria conderent.

§. 2. Hujusmodi vero leges et instituta caeremonialia ab iisdem Cardinalibus praescripta et a nobis inspecta cum probassemus, quo firmiter subsistant et servantur exactius, tenore praesentium apostolica auctoritate approbamus et confirmamus atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo observanda esse statuimus, praecipimus et mandamus.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus quibuscumque in contra-

rium praemissorum quomodolibet facientibus.

Die 15. Maii 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 47.)

#### PRANDIUM.

(In Annivers. Def.)

Vd.: *Convivium in annivers. Def.*

#### PRECES.

1) Dicendae in Officio.

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

2) Non dicendae.

*Ad dubium Benedictin. Einsidl.:* an octava s. Scholastica impediatur praeces etc., specialiter autem si dies *Cinerum* cadat infra octavam nominatam; an tunc illa die dicendae sint praeces, quae alias omittuntur in omnibus octavis?

S. C. resp.: Octava s. Scholastica impedit praeces, quando de illa fit Officium. Quodsi octava occurrat in fer. 4. *Cinerum*, dicantur praeces, sed nihil fit de octava, quae terminatur ad 1. vesp. fer. 4. *Cinerum* exclusive. n. 4044 (2do) dub. 4 die 23. Julii 1736.

Vd.: *Dies Cinerum.*

3) Quomodo dicendae?

Vd.: *Suffragia* (Flexis gen.; decr. n. 5152).

4) Pro electione Episcopi.

*Ad dubium:* An diebus festis fieri debeant publicae Orationes pro novi Episcopi electione ad formam Conc. Trid. et Caer. Ep.?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1772 in *Sarsinat.*

Vd.: *Episcop.* (electio.)

Sepulto Episcopo, donec de novo successore provisum fuerit, praeces ad Deum continua offerendae sunt pro opportuna novi Episcopi electione im-

sedes aut Canonorum stalla in choro occupare, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. Idque tam in Archiep. Granat. Eccles. quam etiam in processibus et offertoriis et in aliis Eccles., ad quas ire Capitulum seu assistere contigerit. n. 413 die 24. Oct. 1609.

Marchioni, domino loci tantum, permittendam sedem, genuflexorium et postergale extra Presbyterium; in elevatione autem SS. Sacramenti Marchionem intra Presbyterium adorare et venerari debere SS. Sacramentum. n. 881 die 28. Sept. 1630.

Non licere Laicis sedem habere in Presbyterio. n. 1238 die 17. Julii 1640.

Nullo modo licere sedem Domino in Presbyterio. n. 1268 die 15. Sept. 1640.

A latere Presbyterii pateant ascensus, eorumque aditus populo praecludatur, custodiendus utique ab Abbatum et Decurionum famulis, ostiariis nuncupatis, qui ... populum ab ingressu arceant, ostium tamen patens omnino dimittant eique nec manum admoveant, ne a laicorum arbitrio Clericis ad altare pendere videatur accessus. n. 2060 die 12. Junii 1660.

Non licet saecularibus ac etiam aliis ascendere choros et Presbyterium ad audiendas Missas et conciones nec non ad interessendum divinis Officiis et benedictionib. SSmi. n. 2215 die 20. Apr. 1663.

S. C. mandat Episcopo Senogallensi ut omnino et sub poenis ejus arbitrio exequi faciat et curet decreta ... quibus declaratur, non licuisse neque licere saecularibus ascendere chorum et presbyterium. n. 2269 die 15. Mart. 1664.

Non licuisse neque licere Gubernatori Principis Huburgh habere sedem tam intra quam extra Presbyterium. n. 2308 die 24. Jan. 1665.

Non licere Gubernatori Melphiae habere locum, neque tenere sedem

cum genuflexorio in Presbyterio Cathedralis. n. 2389 die 15. Jan. 1667.

Idem decret. de Gubernatore Cremon. n. 2696 die 16. Junii 1674.

Idem decr. pro Gubernatore montis Alti. n. 3654 die 23. Junii 1703.

Idem pro Duce Ostunen. n. 3771 die 14. Maii 1707.

Idem pro Marchione de Rupis dioecesis Vicen. n. 4123 die 9. Decb. 1741.

Juratis civitatis Algaren ejusque Officialibus laicis non licere nec licuisse ullo modo habere scamnum intra Presbyterium ibique sedere, praesertim invito Episcopo et quando ipse vel Canonici intra Presbyterium genuflexi orantes existunt. n. 2320 die 20. Junii 1665.

Non licere Laicis sedere et locum habere in choro et Presbyterio. n. 2372 die 10. Apr. 1666.

Episcopus Vercell. curet, ne in Oppido Massarani Princeps teneat intra Presbyterium a cornu Evangelii thronum cum strato. n. 2816 die 13. Febr. 1677.

Non licuisse Baroni Mirabellae neque Archipresbytero jam defuncto de familia ejusdem Baronis introducere et retinere sedes fixas cum inscriptione utriusque et genuflexoria intra Presbyterium altaris majoris Ecclesiae Archipresbyteralis ... Praedictorum usum esse prohibendum. n. 2517 die 29. Nov. 1670; n. 2589 die 16. Julii 1672.

Non licere Domino de Puiacons sedere in sede ornata cum tapete et pluvinari in Presbyterio Ecclesiae parochialis saecularis; et posse per Episcopum id prohiberi. n. 2785 die 13. Junii 1676.

Magistratui et Juratis civitatis Gerunden. tam in Cathedrali quam in aliis Ecclesiis civitatis non licet habere locum in Presbyterio et Capitulum ejusdem Ecclesiae non potuisse per viam concordiae non tamen auctoritate apost. confirmatae permittere locum in Pres-

byterio, ita ut per viginti annos jus ad illum acquirere valuerint. n. 3182 ad 1 et 2 die 12. Mart. 1689.

Praedicta decreta locum etiam habent in Ecclesiis Regularium et non sunt concedendae Remissoriales in casu. n. 3213 ad 1 die 22. Apr. 1690.

Removeatur Magistratus a Presbyterio. n. 3224 ad 1 die 10. Junii 1690.

Aptandum esse locum Magistratui Amerinae extra Presbyterium. n. 3537 die 12. Sept. 1699.

Non licuisse neque in posterum licere camerario et confratribus societatis s. Annae in parochiali s. Joannis in Ayno de Urbe quacunque veste indutus, etiam de consensu parochi, assistere Vesperis et Missae solemnibus intra Presbyterium in festivitate s. Annae ... n. 4438 die 28. Julii 1789.

*Ad dubium*: An liceat D. Alphonso Toralba Baroni Calimeriae retinere in Ecclesia Matrice seu parochiali dicti loci, pro audiendis Divinis, sedem fixam extra Presbyterium, absente et non residente Episcopo, vel potius amovibilem cum scabello, tapete, suppedaneis atque postergalibus in casu etc.?

S. eadem R. C., tam in voce quam in scriptis, partibus informantibus auditis, censuit respondendum:

„Quoad sedem fixam, negative; quoad amovibilem et cameralem tantum, affirmative. In reliquis negative.“

Et ita declaravit et servari mandavit.

N. 3684 die 26. Aprilis 1704.

Episcopo Civitatis Motulae S. R. C. demisse supplicanti responderi:

An sit permittendum Gubernatori et Syndico et aliis Nobilibus Terrae Masafrae Motulen. Dioecesis intra Presbyterium sedere super scamno ligneo et absque postergali in loco inferiori et a Clero separato, eo sub praetextu nempe inserviendi de aqua et linteo Episcopo pontificaliter celebranti?

S. eadem R. C. respondit: „Non permittat.“

N. 3695 die 12. Julii 1704.

*Ad dubium*: an Duci et Ducissae montis Dragonis liceat retinere intra Presbyterium genuflexorium cum strato et sedem amovibilem cum pulvinariibus in Ecclesiis saec. et regul.?

S. C. resp.: *Negative*.

N. 3908 die 2. Apr. 1718.

## 2) Ornatus.

Vd. *Chorus* (ornatus).

## PRETIOSISS. SANGUIS J. CHR.

Vd.: *SS. Sanguis J. Chr.*

## PRIMA.

In Prima post *Benedicamus* statim legatur Martyrologium et *Pretiosa* cum sequentibus; deinde Missa celebretur et postea Capitulum habeatur. n. 32 ad 4 die 17. Nov. 1592.

Ad Primam, postquam hebdomadarius dixit *Confiteor, universus chorus* dicere debet *Misereatur et Confiteor*. n. 351 ad 16 die 19. Maii 1607.

## PRIMICERIUS.

Vd.: *Coadjutor Primicerii; Episcop. titul. Can.; Chorus* (egress).

*Ad dubium*: an absentibus vel impeditis primis duabus Dignitatibus Vesperarum et Missarum solemniam spectent ad hebdomadarium seu antiquiorem Canonicum an ad Primicerios, qui chori directioni et assistentiae addicti inter Dignitates numerantur, S. C. resp.: Praedictos Primicerios a directione et assistentia chori non esse dimovendos et ad Canonicos immediate digniores post praefatos Primicerios Vesperarum et Missarum solemniam spectare, et de-

claravit, ut unusquisque proprio muneri incumbant. n. 1896 die 8. Junii 1658.

Primicerio Cathedralis Fundanae assistentiam et solita obsequia Episcopo praestare renuenti, ex quo Apostolici Nuntii Commissarii Subcollectoris Officium gerat, S. C. resp.: exemptionem non suffragari quoad spiritualia et respicientia cultum divinum ac propterea Episcopus Primicerium ad onera sibi debita omnino subeunda auctoritate S. C. compellat. n. 1988 die 14. Junii 1659.

Vd.: *Subcollector.*

### PRIMITIAE.

Vd.: *Missae prima novi Presbyteri; Missae tres novi Presbyteri.*

### PRIOR.

#### 1) Thurificatio.

Priores Terrae Pennae Asculanae dioecesis thurificandos esse post omnes de Clero. n. 802 die 17. Mart. 1629.

Vd.: *Incensatio Cleri.*

#### 2) Usus Pontificalium.

Vd.: *Sedes; Usus Pontifical.; Diaconi assistentes pro Abbatib. et Dignitariis.*

*Non debet facere ante se deferri crucem, vd.: Crux Archiepiscop.*

### PRIORISSA.

Vd.: *Abbatissa.*

### PRIVILEGIUM.

#### 1) Altaris.

Vd.: *Altare privil.; Indulg. altaris; de privil. alt. a SS. Pont. consecrati, vd.: Indulg. alt. (a SS. Pont. cons.)*

#### 2) Communicatio.

Privileg. locale extendi non potest de loco ad locum.

S. R. C. 10. Jan. 1693.

*Ad dubium 1.:* An Patriarch. Basilicae aliaque Ecclesiae, necnon Nosocomia, Archiconfraternitates, Superiores cujuscunque Ord. sive Instituti, caeterique habentes facultatem communicandi privilegia, possint privil. et indulgentias ampliare et limitare pro suo arbitrio in aggregationibus?

2. : An aggregationes faciendae sint ad tempus vel perpetuo?

3. : An privil. altaris sit communicabile?

S. C. J. resp. *ad 1.:* Negative, nisi aliter in Indultis apost. provideatur;

*ad 2.:* Aggregationes faciendas esse in perpetuum;

*ad 3.:* Negative.

Die 5. Febr. 1748.

Vd.: *Decr. Urbani VIII. de die 28. Mart. 1634 in Bull. magno tom. V. p. 255 (Ed. Luxemb. 1727).*

#### 3) Octavae.

Vd.: *Octava privil.; Octava Corp. Chr.*

#### 4) Personale in die Com. Om. fid. def.

Vd.: *Indulg. alt. (Eccles. par. etc.); Indulg. alt. (pers. Privil.)*

### PROCESSIO.

#### 1) Abusus.

Abusus antiqui in processibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur.

S. C. R. 13. Maii 1603.

#### 2) Canonici Cath. parati.

Cf.: *Canonici parati; Coena Dom. (praeced. etc.); Processio (Clerus inf. paratus, decr. n. 4595, 5136); Instructio Clem. §. XXI. n. 8.*

Canonicos et Dignitates vestes sacras, Episcopo deferente et non deferente SS. Sacramentum, induere debere in honorem tanti Sacramenti. n. 735 die 27. Mart. 1628.

Canonicos Cathedr. semper intervenire debere vestibus sacris in processione solemnitate Corporis Christi, sive Episcopus interveniat sive non, et inobedientes potuisse et debuisse per Episcopum mulctari. n. 1000 die 15. Julii 1634.

Soli Capitulo Cathedrali licere incedere in processibus cum vestibus sacris et non aliis ecclesiarum Collegiarum. n. 1320 die 20. Apr. 1641.

Non albam sed tantum superpelliceum adhibendum est in processibus, quando induuntur planetae, dalmaticae et tunicellae, juxta Caerem. (Lib. I. c. XV. n. 6.; lib. II. c. XXXIII. n. 5.) n. 2869 ad 9 die 26. Nov. 1678.

Canonici Cathedralis, etiam absente Episcopo a processione SS. Corporis Christi, deferente SS. Decano vel Canonico, sacris vestibus induti interesse et Caeremoniale lib. II. c. XXXIII. servare debent. n. 1831 die 30. Junii 1657; n. 3888 die 12. Sept. 1716.

Ad conquestionem, quod Episcopus Theles. praecepisset, ut Canonici Cathedralis in processibus tum ordinariis tum extraordinariis pluvialia deferant, S. C. resp.: „*Servari Caerem.*“ n. 2120 ad 1 die 2. Julii 1661.

Vestimenta sacra non posse deferri a Capellanis Collegiatae Matricis Itri, nisi deferant etiam Canonici. n. 2516 ad 4 die 13. Sept. 1670.

Capitulo, Dignitatibus et Canonici Cathedralis Viterbien. competit jus incedendi in processione SS. Corporis Chr. cum s. paramentis privative quoad Canonicos Collegiarum, Rectores parochialium aliosque presbyteros. n. 3966 die 16. Febr. 1726.

#### 3) Can. Colleg. par.

Vd.: *Synodus (Clerus par.); Process. (Can. Cath.)*

In processibus sine SS. Sacramento Dignitates Collegiarum in-

dere debere cum suis Capitulis sine pluvialibus. n. 719 die 29. Jan. 1628.

Non convenire, ut Canonici Collegiatae in processibus (de processione Litan. maj. in hoc decreto agitur) incedant parati, prout incedant Canonici Cathedr. n. 351 ad 20 die 19. Maii 1607.

Canonicos Ecclesiarum Collegiarum in concursu cum Capitulo Cathedrali non debere incedere in processibus cum vestibus sacris, sicut incedunt Canonici Cathedralis. n. 1231 die 2. Julii 1640.

Non licet Canonici Collegiarum in processibus SS. Sacramenti incedere cum vestibus sacris, prout incedunt Canonici Cathedralis. n. 1232 die 2. Julii 1640.

*Ad dubium:* an in processibus pro Synodo dioecesana habendis Canonici Colleg. Constantii incedere possint sacerdotali planeta induti ad instar Canonico. Cathedr. ipsius civitatis vel potius debeant interesse superpelliceo et almutio tantum induti, ut distinguantur a praefatis Canonici Cathedrali?

S. C. resp.: Non convenire, ut Canonici Colleg. in processibus incedant parati, prout incedunt Canonici Cathedralis. n. 3270 die 26. Aprilis 1692.

*Ad dubium in causa praeeminentiae inter Capitulum Cath. et Colleg. Foggiae:* an in processibus solemn. Foggiae possint Canonici Colleg. parati incedere sive praesente sive absente Episcopo?

S. C. resp.: *Posse in process. solemnitate SS. Corp. Chr.* n. 3563 ad 2 die 22. Maii 1700.

Canonici Colleg. Urbis veteris in peculiari processione, quam sine interventu Canonico. Cathedrali infra octavam ss. Corp. Chr. peragunt, possunt incedere cum planetis. n. 3688 die 26. Apr. 1704.

petranda; et conveniret, ut singulis diebus vel saltem semel in hebdomada Religiosi processionaliter ad Cathedrallem accederent, Litanias cantantes et ibidem pias et devotas orationes recitarent cum Canonicis et Clero ejusdem Cathedralis. ... Qua electione ob- tenta singuli Religiosi ad Cathedrallem accedentes Deo gratias agent et Hymnum *Te Deum* devote cantare poterunt in Ecclesia.

Caer. Ep. l. II. c. XXXVIII. n. 27.

### 5) Genuflexio.

*Ad dubium*: Preces feriales et Antiphona finalis B. M. V. non solum in Choro, sed etiam in privata Officii recitatione, flexis genibus suntne recitandae? An vero damnandi, qui in privata recitatione hanc genuflexionem omittunt?

S. C. resp.: „In Choro tantum juxta Rubricas.“ n. 4669 ad 44 die 12. Nov. 1831.

*Ad dubium*: An in vigil. apostol. eo quia per Bullam D. N. Pii PP. VII. die 10. Apr. 1818 pro Siciliae regno abrogata fuerint jejunia, genuflectendum sit a Choro ad preces Officii et in Missa de iisdem Vigil., eo quia in dicta Bulla legitur: et Officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius celebrari mandamus.

S. C. resp.: Cum per Breve ap. in casu, de quo agitur, abrogatis vigiliis quoad jejunium et abstinentiam, nihil immutandum fuerit quoad ritus et functiones ecclesiasticas, imo expresse cautum sit, ut retineantur et serventur, ideo ad preces Officii et in Missa de Vigilia erit genuflectendum ad formam rubricarum.

Die 11. Mart. 1820. In Mazarien.

### 6) Pro Indulg. lucrandis.

Preces requisitae in Indulgentiarum concessionibus ad implendam SS. Pon-

tificis intentionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter assignentur. — Non potest per preces jam obligatorias v. g. per horas canonicas satisfieri illis precibus.

S. C. J. die 29. Maii 1841.

### 7) Publicae.

a) Ab ecclesiastica auctoritate indicendae.

Vd.: *Oratio pro Rege.*

Ecclesiastica Auctoritas in designandis publicarum preces formularum et in eisdem indicendis asseritur. Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis.

*Benedictus PP. XIV.*

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam Benedictionem.

Quemadmodum preces ad Deum pro principibus effundere valde consentaneum est, ita convenit, ut precum ipsarum formulae sint ex illis, quas Ecclesia usu recepit, maxime vero si ejusmodi preces in celebratione Missarum adhibendae sint. Praeterea ad ecclesiasticam auctoritatem unice spectat preces illas statuere atque indicare, cum nulli saeculari potestati fas sit decernere praeceptoque mandare, ut publicae preces fiant, sive ad persolvendas Deo gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam.

§. 1. Divus Paulus in prima ad Timotheum cap. 2., ut Vos bene nostis, ita loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt.* Quod si expediat hoc loco praxim ostendere, qua primaeva Ecclesia utebatur in orationibus et precibus ad Deum

pro principibus offerendis, eam satis patefacere poterunt s. Dionysii Episcopi Alexandri ad Praesidem Aemilianum epistola, Tertullianus in lib. ad Scapulam et in Apologetico, sanctus Cyprianus in epistola ad Demetrianum, Origines in respons. ad Celsum et Athanasiorum in sua Legatione ad Imperatores pro Christianis.

§. 2. Multum quidem inter se conveniunt credendi et orandi ratio. Proinde in celebratissimis epistolae sancti Coelestini ad Galliae Episcopos additionibus cap. 11. legitur: *Obsecrationum quoque Sacerdotium Sacramenta respiciamus . . . ut legem credendi lex statuat supplicandi.*

Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia praescriptas esse adhibendas, praesertim si res agatur de orationibus, quae recitari debeant in Missa, ut dictum est. Idcirco etiam a Sacro Concilio Tridentino cavetur, ne preces in Missarum celebratione adhibeantur, praeter eas quae ab Ecclesia probatae et frequentiter ac laudabili usu receptae fuerint.

Quamobrem in Missali Romano pro omni fere necessitate existunt piaequidem ac religiosae orationes et vetustis ac venerabilibus Sacramentariis opportune depromptae.

§. 3. Neque vero putamus nimium progedi, immo inter aequos auctoritatis nostrae limites Nos certe consistere credimus, cum asserimus, ad ecclesiasticam quidem, non autem ad saecularem potestatem pertinere, de ecclesiasticis ac spiritualibus rebus disponere. Magnus ille Osius Episcopus Cordubensis apud s. Athanasium in Epistola ad solitariam vitam agente, ecclesiastica sane libertate, ad Constantium Imperatorem haec scripsit: *Ne te misceas ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc genere praecipere, sed potius ea a nobis discere. Tibi Deus imperium commisit: nobis,*

Decreta authentica. Tom. II.

*quae sunt Ecclesiae, concedit. Cave, ne quae sunt Ecclesiae, ad te trahens magno crimini abnoxius fias. Scriptum est: Quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.*

§. 4. Ad viciniore autem tempora et ad rem, quae epistolae huic nostrae occasionem dedit, proprius accedentes dicimus, a laicorum ipsorum tribunali abrogata fuisse atque rescissa saecularis alicujus Magistratus decreta, quibus publicae pro principibus preces indictae fuerant, quod ejusmodi decreta nullius auctoritatis aut roboris esse per se innotesceret. Et non multis ab hinc annis S. C. C. praedecessoribus nostris annuentibus publice abrogavit irritumque fecit saecularis potestatis edictum, quo illa, ob partem a principe victoriam, indixerat pro gratiarum actione *Te Deum laudamus*, etiamsi protestationem inseruisset de praepjudicio ecclesiastico juri non inferendo, quod nimirum facto protestatio ipsa adversaretur.

§. 5. Ut igitur aequitatis jure rectoque ordine omnino procedatur, moneamus Vos atque hortamur, ut tum Vos tum alii opera vestra Deum sedulo rogent pro incolumitate ac felicitate vestrorum Principum, quemadmodum et Nos pro Principibus Catholicis quotidie facimus. Aequo libentique animo accipite, quod Potestates saeculares a Vobis petant, ut pro se publicae preces fiant, atque operam date, ut Ecclesiae formulae in illis usurpentur neque novae aut inusitatae orationes in Missa recitentur.

§. 6. Sin autem, quod Nobis persuadere non possumus, laicalis aliqua Potestas usu vel consuetudine aliqua (quae abusus revera dici debet), praesumat auctoritatem vestram in hoc minime agnoscere, sed jure suo directe velit publicas preces indicare immo et poenam parere renuentibus statuere audeat, loquimur et Vos, quemad-

modum Osus ad Imperatorem locutus est. Rationes adducite, quas, qui errant, fortasse ignorant. Palam ipsis facite, hanc nullatenus esse rationem exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi: ad Vos confugere eos debere, cum Vos ii sitis, qui, licet ex hominibus assumpti, tamen estis pro hominibus constituti in iis, quae sunt ad Deum, ut ad Haebraeos Apostolus loquitur: nec, praeter Vos, posse aliquem opus huiusmodi suscipere et hunc sumere sibi honorem; sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.

§. 7. Quod si dictis non acquiescant neque a Vobis opportunum iudicetur in eos ita procedere, ut ecclesiasticae disciplinae jura exigent, Vobis stricte mandamus, ut Nos quamprimum certiores de iis faciatis, opportunis quoque transmissis ad manus nostras documentis, cum Nos parati simus ea omnia facere, quae clarissimi Praedecessores nostri in ejusmodi occasionibus facere consueverunt.

Nolumus enim, ad Supremum Dei Tribunal vocati, de neglectis Sanctuarii juribus sotes judicari.

Interea Vos Paterno amore complectimur Vobisque Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 23. Martii 1743.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 269. Ed. Rom.)

#### b) A quibus dicendae?

Vd.: *Te Deum* (oratio); *Orationes* (ad bened.).

*Ad dubium*: An Fratres Conventuales teneantur implere Episcopi mandatum, quum ab ipso pro publica causa vel utilitate preces indicuntur in casu etc.?

Et Emi ac Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„Affirmative.“

N. 5222 ad 5.

Die 16. Febr. 1856.

*Ad dubium*: An publicae preces et gratiar. actiones possint peragi in Ecclesiis regul. aut exemptis absque licentia Ordinarii?

S. C. resp.: Affirmative, demptis processionibus aliisque actibus, vetitis fieri absque licentia Ordinarii.

Die 26. Apr. 1604 ad 15.

Preces ordinatas ab Episcopo Oscen. ut ad impetrandam pluviam in omnibus suae dioecesis Ecclesiis in missa conv. recitentur, post orationem dominicam, antequam Sacerdos dicat: *Libera nos quaes., non esse eo tempore recitandas, ne Sacrificium missae interrumpatur.*

Die 11. Junii 1605.

#### 8) In Reposit. SSmi in Orat. 40 lh.

Vd.: *Lytaniae in expos. SSmi.*

### PRESBYTER.

#### a) Assistens.

Vd.: *Assistens; Minister de libro Episcopi.*

*Ad dubium 1.*: An celebrante sol. prima vice novo Sacerdote patrinus seu Presbyter assist. possit in dominicis ante aspergere populum aqua benedicta ac deinde ad Sacristiam accedere et Sacerdotem ipsum ad altare adducere cum ministris?

2.: An subtus pluviale ipse patrinus possit stolam gerere ac fidelibus cum patena ministrare, quoties eucharist. communio instituenda est?

3.: An patrinus debeat vel saltem possit celebrantem incensare loco diaconi?

S. C. resp.: Negative in omnibus.

Die 11. Mart. 1837.

#### b) Simulator.

Vd.: *Sacerdos simulator.*

### PRESBYTERATUS.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyt.*

### PRESBYTERI.

#### 1) Associantes Episcopum ingredientem in Ecclesiam.

Cf.: *Episcopus* (accessus ad Eccles. — associat. Presbyt.).

#### 2) In Coena Dom.

Vd.: *Coena Domini.; Oleor. Consecrat.*

#### 3) Cophtorum.

Vd.: *Constitut. Bened. XIV.* die 4. Maii 1745 (Bull. r. t. XVI. p. 292 etc.).

#### 4) Graeci et Latini.

(Juxta suum ritum celebr. debent.)

Vd.: *Missae* (ritus non mutand.); *Ritus graecus.; Unctio extrema Graecor.; Monachus graecus.; Ordinatio Graecor.; De presbyt. graeco uxorato*, vd.: *Ordin. Graec.* (n. XXVI–XXVIII.)

#### 5) Habitus.

Vd.: *Habitus Clericorum; Sacerdos* (habitus etc.).

#### 6) Novi.

(Oblig. ad tres missas.)

Vd.: *Missae* (tres novi Presbyt.).

### PRESBYTERIUM.

#### 1) Aditus vetitus Laicis.

Cf.: *Sedes; Magistratus; Instructio Clem.* §. VII. n. 1. etc.; §. IX. n. 12. 14.; §. XXV. n. 8. etc.; §. XXVI. n. 1. etc.; §. XXVII. n. 1. etc.; *Familiares Episcopi; Mulier; Regiae personae; Genusfexorium Laicor.; Lavabo Episcopi.*

Laici extra chorum et cancellos Presbyterii sint. n. 29 die 22. Sept. 1592.

Non licere Electis ... ac aliis Officialibus saecularibus Villae Morellae sedere in Presbyterio, in quo Archi-

presbyter et Clerus parochialis ... sedent, non obstante quacunque possessione et consuetudine in contrarium. n. 2406 die 2. Apr. 1667. — Magistratum saecularem terrae plebis prope Centum Bononien. dioeces. remouendum esse ... a Presbyterio Ecclesiae Colleg. ejusdem loci, non obstante allegata consuetudine in eo sedendi post Capellanos. n. 2489 die 31. Aug. 1669.

Locus eidem Domino tribuendus est in Ecclesia dignior ... sed absque gradibus et extra presbyterium. n. 66 die 7. Sept. 1593.

Locum a Gubernatore usurpatum in Presbyterio super scabello altaris minime illi convenire. n. 109 die 10. Jan. 1597; n. 147 ad 6 die 10. Junii 1602.

Non licere nec permitti debere laicis, dum divina Officia in Ecclesia peraguntur ... in choro vel Presbyterio stare vel sedere, nec licere Magistratibus aut Judicibus Laicis proprias Dignitatum sedes aut Canonicorum stalla in choro aut Presbyterio occupare, etiamsi id aliquando eis permissum fuerit. n. 233 die 21. Febr. 1604; n. 4188 die 4. Maii 1746.

Non licere nec permitti debere Laicis, nec etiam Clericis, qui non sunt de gremio capituli, occupare loca Canonicorum et aliorum de Capitulo, habitu ecclesiastico indutorum, neque laicis vel etiam ecclesiasticis aut amicis et familiaribus Archiepiscopi habitu ordinario et nigro indutis licere ... inter Canonicos et alios de gremio Capituli habitu ecclesiastico indutos sedere, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. n. 257 die 8. Jan. 1605; n. 2414 ad 1 die 2. Apr. 1667.

Non licere nec permitti debere Laicis, dum divina Officia in Ecclesia Metrop. celebrantur, inter Canonicos et alios in Ecclesia Praebendatos ac Ministros in choro vel Presbyterio stare vel sedere; neque licere Magistratibus aut Judicibus laicis proprias Dignitatum